



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Disputatio Tertia. De Habitibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

gentis actus, & operationes secundum rationem sunt, ubi secundum rationem idem valet, quod secundum ordinem cognoscendi & notificandi, quatenus scilicet nobis citius innotescunt actus, quam potentia, ut exponunt textum etiam plures alii teste Maffrio. Verum respondeo secundum cum Scoto, quod licet concedatur autoritas, prout usurpatur communiter, quidem ex ea deduci distinctionem actuum ex distinctione objectorum, non tamen ex unitate objecti inferri semper unitatem actus & potentia, quod tamen necessa-

rium esset cum investigemus tam distinctionem actuum & potentiarum, quam indentitatem earundem, unde responsum declaro exemplo, de motu & ejus termino, si enim terminus est distinctus, bene inferitur distinctio motus, si vero terminus sit idem, non necessario inferitur indentitas motus, nam idem omnino ubi potest acquiri diversis motibus secundum speciem, ut à motu circulari & à motu recto, & à diversis principiis ut ab elemento & mixto.

DISPUTATIO III. DE HABITIBUS.

Quoniam, ut ex dicendis in eadem hac Disputatione patebit, tam potentia, quam membra externa acquirunt facilitatem ad actus suos eliciendos habitum dictam, qui partialiter & effective, ad actus cum potentia concurrunt, hinc duxi consultum fore antequam ad potentias, earumque actiones descendam, prius eorum hic naturam considerare, unde sit

QUAESTIO I.

An dentur habitus naturales, & quid sint?

Prima pars hujus quaestionis difficultatem non habet, nam dari habitus naturales (de iis enim mihi tantummodo in hac Disputatione est sermo) communis est sententia cum Scoto 1. d. 17. q. 2. §. Tenendo tertiam viam. Ubi dicit eandem potentiam habitatam eodem conatu ad actum concurrentem, intensiorem producere actum, quam non habituata, quae major intentio non potest provenire à principio passivo, & à majori dispositione ipsius potentiae proveniente ab habitu, quia in illo priori instanti naturae in quo intelligitur elici ille actus intensior (quoniam semper intelligitur prius elici quam recipi) si non esset perfectior & intensior in ratione principii activi, nunquam posset intensior elici, quia talis elicitur à potentia qualiter est in actu primo, & haec sufficientiam pro hac parte. Progreduendo autem ad secundam partem, aliqui habitum dicunt esse, qualitatem intrinsecam, juvantem potentiam ad operandum; verum haec acceptio nimis communis est, convenit enim calori ignis, speciei impressae, & aliis qualitativis reagentibus. Se ex parte causae agentis: Alii dicunt habitum esse qualitatem non à natura productum, sed acquisitum juvantem agens cognoscitivum ad operationes suas, sed haec etiam non subsistit, quia complectitur species impressas, & cognitionem, quae juvant voluntatem ad amandum, verbi gratia: Alii quod sit qualitas intrinseca elevans, vel facilitans potentiam ad operandum; sed nec haec placet, nam primò est divisio potius, quam definitio, cum amplectatur tam naturales habitus, quam supernaturales, cum tamen solummodo loquamur de habitibus naturalibus. Quare omisissis his & similibus acceptionibus

Dico primò: Habitum intellectualem, &

moralis bene describitur, quod sit affectio animi longo tempore perseverans, usu roborata, atque firmata. Ita D. Augustinus in terminis Categ. 12. quoad primam partem & lib. 83. quaest. q. 73. quoad secundam, ubi etiam specificat de quibus loquatur habitibus, ut est virtus & disciplina quae perseveratione sui & perpetuitate temporis estimantur (augentur) nisi forte eas languor corporis aliquis & casu injecta debilitas amputaverit: Nec potest esse aliqua difficultas, si accipiatur ly affectio pro qualitate, sicut accipit ipse Aristoteles. Similiter definit habitum D. Bernardus tract. de grat. & lib. arb. c. 6. ubi ait: Nihil esse virtutes nisi ordinatas affectiones. Et quamvis haec definitio possit accommodari etiam habitibus ut sic, si loco animi ponatur subiectum, verum quia alias quasdam particulas supponunt Sancti Patres, expressè eas addendo definitio habitum ut sic, &

II.

Definitur habitus intellectualis ex Patribus.

Dico secundò: Quod sit qualitas quaedam de prima qualitatis specie permanens, disponens subiectum, non quidem ad simpliciter agendum, sed ad promptè, faciliter, & expedite agendum ex frequentatione actuum acquisita. Ita Scotus 4. d. 6. q. 10. O. potestque deduci ex D. Augustino supra, & D. Bernardo Epist. 1. ad Robertum Nep. dicente. Usus tollit difficultatem, invenitque facile esse quod ante impossibile putavit. Et lib. 1. de Confid. cap. 2. Quid non evetat consuetudo, quid non assiduitate duretur? Quid non usu cedat? Primum tibi importabile videtur aliquid, processu temporis si assuecas iudicabit non adeo grave, paulo post & leve senties, paulo post & delectabit. Qui reverà sunt gradus acquirendi habitum ejusque perfectissima munia nempe, facilitare & delectare etiam. Et serm. 14. de diversis elegantissime vim consuetudinis quae est habitus describit asserens: Industriam violentiam potiore esse, & pene alteram naturam. Probat per explicationem. Dicitur Qualitas, per quod convenit cum aliis, habetque locum generis, quod

III.

Definitur habitus ut sic.

quod verò ad hoc prædicamentum collocetur ideo est, nam est activa adeoque in nullo melius reponi potuit. Dicitur de prima qualitate specie, quia in illa specie ponuntur qualitates quæ subiectum disponunt ad agendum & proveniunt ab extrinseco, quæ enim ab intrinseco proveniunt, ut potentia & impotentia in secunda specie, sed sic evenit de habitu. Dicitur *permanens*, ad differentiam actuum, qui citò transeunt. Dicitur *disponens*, ut explicetur munus ipsius, & ad differentiam qualitatuum non sic disponentium, nec curatur illa particula *bonè vel Malè* ex Aristotele 5. Met. 25. quia sufficit assignare genus actionis, licet non defendatur ad species, quia sic potius esset habitus divisio in bonum & malum. Dicitur *non ad simpliciter agendum*, quia sic esset potentia, non habitus, cum sola potentia sit sic necessaria ad agendum, non verò habitus, potest namque intellectus & potentia interior, supposita sola specierum excitatione, absque alio superaddito habitu, agere, imò, non minus necessario agunt supposita tali excitatione quam oculus videat proposito objecto: Unde excitatis speciebus intellectus nullo habitu indiget, licet forte indigeret ad excitandas species. Dicitur *Ex frequentatis actibus acquisita*, quia habitus, vel sit ex pluribus actibus, vel ex uno solo intensissimo omnibus illis actibus æqualiter correspondente, & ad differentiam habituum supernaturalium, qui à solo Deo infunduntur, nec inclinant, vel disponunt potentiam ad promptè & faciliter operandum, ut patet de peccatore noviter converso, qui licet habitum supernaturalem habeat, tamen difficultatem patitur in operando. Dicitur denique *in potentia anime*, quam particulam fufius questione sequenti conclusionibus explicabo. Interim pro adversariis

IV.
Non convenit species impressæ simpliciter.

Arguitur: Hæc definitio convenit etiam speciei impressæ intelligibili, ergò non est bona, patet antecedens, nam species intelligibilis est fixa & permanens, non minus quam habitus, sed explicui habitum per permanentiam tanquam per differentiam distinguentem habitum essentialiter ab actu, ergò convenit speciei impressæ etiam, licet species intelligibilis sit essentialiter distincta ab habitu. Ad hanc oppositionem responderi posset primò licet una particula conveniat speciei, non conveniunt tamen omnes, adeoque difficultas foret soluta, verum ad intentum adversariorum Respondeo secundò, speciei intelligibili convenire permanentiam, seu esse fixam & permanentem per accidens sicut etiam per accidens posset dici habitus, nam licet species non permaneret, adhuc esset ratio cognoscendi & representandi objectum, unde in forma Respondendo negatur antecedens, & distinguitur major, est æquè fixa & permanens ac habitus per accidens concedo, per se nego. Sed

V.

Instatur: Differentiæ contrahentes rationem qualitatis, ad qualitatem quæ est habitus, & ad eam quæ est species, debet ita distingui sicut distinguuntur habitus & species intelligibilis, ergò differentia per se unius non potest per accidens competere alteri, ut ratio-

nalitas, quæ est differentia contrahens animal ad hominem, non potest per accidens competere bruto. Respondeo distinguendo consequens, ergò differentia per se unius non potest per accidens competere alteri, ut ly *competere* dicit inhaerens & inhaerentiam simul concedo, quia tunc sensus est, quòd differentia essentialis habitus quæ est permanentia aliquo modo in se ipsi speciei, sive per se, sive per accidens, nam sic sunt ita impossibiles ut irrationalitas & rationalitas; si ly *competere* dicit solum inhaerens nego, quia sic sensus est, quòd permanentia est prædicatum, quòd accidentaliter dicitur, de specie intelligibili, & hoc voluit dicere Scotus 2. d. 3. q. 10. §. ad questionem, dum de speciebus loquens dixit. Esti ab aliquibus dicantur habitus per hoc exprimentur ut per accidentia speciei, nam ratio habitus accidentis speciei prout species est in intellectu, à quo non de facili deletur & ideo habet rationem habitus, quia rationem formæ permanentis, sed hoc non dicitur in quid de hac qualitate habitus non dicitur in quid de specie.

Urgetur: Ideo rationale non potest etiam per accidens convenire bruto, quia est differentia per se hominis, sive ly *convenire & competere* dicat inhaerens & inhaerentiam simul, sive inhaerens solum, ergò si permanentia est differentia essentialis habitus, nullo modo potest competere speciei. Respondeo distinguendo antecedens, quia est differentia essentialis præcisè nego, nam sic probaret argumentum, quòd nulla differentia posset competere opposito, quia est differentia quæ non competit nisi quatenus competere simul dicit inhaerens & inhaerentiam concedo, hoc tamen non verificatur de differentia essentiali habitus permanentia scilicet, quia est differentia competere potens alicui per se & alicui per accidens ad modum præctici & speculativi, quæ licet sint differentie essentialis scientiæ vel saltem illas nobis circumscribant, possunt tamen eodem competere diversimode, ut Scotus q. 1. prell. §. Si quæris notat, nam scientia contingentium ex objecto per se dicitur speculativa, per accidens verò & à voluntate divina dicitur præctica.

QUÆSTIO II.

De subiecto habituum?

Dux difficultates in hac questione sunt examinandæ, prima est, an videlicet habitus subiectentur immediatè in anima, an verò in potentiis? Et hæc difficultas maxime locum habet de habitibus intellectus & voluntatis tam naturalibus, quam supernaturalibus. Secundò quæritur, supponendo quòd in potentiis subiectentur, in quibusnam potentiis? An tequam resolvam aliquid, Notandum, habitum poni ad hoc, ut illud in quo est, facilius, promptius, citius, & intensius operetur, non proprie dicta omnia collectivè sumpta, alioquin non posset poni in potentia in instanti ex natura sua operante cum habituata non posset citius instante operari, neque posset poni in potentia nullam sentiente difficultatem in operando ponitur

ponitur itaque habitus propter unam ex dictis conditionibus, si enim est potentia indeterminata ad plura ponitur habitus, ut ad unum facilius & promptius determinetur; si est ad unum determinata nec ullam patitur difficultatem, potest poni habitus, ut ipsa intensius & perfectius operetur, & pertingat ad perfectionem sui actus, ad quem se sola pertingere non potest. Notandum secundò: Scotus 2. d. 3. q. 10. post Philosophum tenere in summè determinatis non dari habitum. His itaq; notatis ad primum quæsitum

Intellectus ut sic præcisè inspectus non est ratio formalis agendi, sed ut singularis quasi singularitas esset ratio aliqua pertinens ad principium quo, nego antecedens; quatenus singularitas indispensabiliter sequitur quamcumque rem à parte rei existentem concedo antecedens. Ut ad secundam difficultatem descendam

Dico 2. In rebus summè determinatis inanimatis non datur habitus. Ita Scotus 2. d. 33. q. un. D. dicens *A parvis agentibus naturalibus omnes removemus habitum, quia ex se sunt summè inclinata;* quod cum non possit intelligi de omnibus omnino agentibus naturalibus, nam intellectus agens naturale etiam est & tamen habitus capax, convenienter accipitur pro omnibus inanimatis.

IV. In rebus summè determinatis non datur habitus.

II. Subjectum in potentia anime.

Dico 1. Habitum immediatè subjèctantur in potentia anime, non in ipsa anima. Ita Scotus 2. d. 16. q. 1. H. & 3. d. 33. q. un.

Probatur Conclusio. Habitum datur cuiuscumq; rei propter operationem; ergò subjèctatur immediatè in illa, quæ immediatè operatur, subsumo sed Anima non immediatè operatur, sed mediantibus, potentis; ergò habitus non subjèctantur in Anima, sed in potentis; patet subsumptum, quia alioquin omnes operationes essent ejusdem rationis, adeoq; una non dimanaret ut libera, altera ut necessaria, nam Anima præscindendo ab intellectu & voluntate est ejusdem rationis.

III. Habitum & potentia sunt distincta.

Arguitur contra Conclusionem: Instrumentum non debet recipi in instrumento, sed potentia sunt tam bene instrumenta, quam habitus; ergò habitus non poterunt recipi in instrumentis, seu potentis adeoq; immediatè subjèctantur in Anima. Respondeo distinguendo minorem, potentia sunt instrumenta anime in largiori acceptione pro omni eo capiendi, quo causa principalis utitur in agendo concedo; in rigore nego minorem; nam ipsæ potentia attingunt immediatè ipsam actionem anime; & sufficit quòd Anima dicatur Deo grata, quòd gratia existat in potentia, quæ non est realiter distincta ab ipsa Anima, secus esset si potentia esset distincta realiter.

Instatur: Si operatio potentia immediatè recipere in potentia, & non in Anima sequeretur potentias non esse solùm rationes ipsi anime producendi intellectum verum etiam recipiendi, sed hoc est inconveniens, ergò; **Probatur minor:** Quia idem quod est principium *Quod* alicujus actionis, non potest esse principium *Quo*, ergò. Respondeo negando minorem; ad cujus probationem dico, quod licet intellectus sit principium quo Anima intelligit, seu producit intellectum, & principium quod recipit intellectum, diciturq; intelligens, hinc tamen non sequi, quòd sub eadem ratione respectu ejusdem actionis dicatur principium *Quod* & *Quo*; nam principium quo est ipsa natura intellectus, principium verò quod est ipsa natura intellectus hæccizata, quare semper in principio quod includitur aliquid, quod non includitur in principio Quo.

Urgetur: Natura intellectus non est principium quo, seu ratio formalis agendi ipsi anime, ut sic abstractè concepta, sed solùm quatenus est à parte rei & singularizata; ergò sub eadem ratione esset principium quod & quo. Sed respondeo distinguendo antecedens: In-

F. Amandi Hermann Physica.

Probatur secundò experientia:

Quia videmus, quòd in lapide ex continua & frequenti descensione deorsum, non generetur habitus, magis ipsum lapidem disponens, nec ex frequenti reiterata impulsione ad ubi sursum magis habilis efficitur, quin semper patitur in tali motu violentiam; Idem caliditas, frigiditas & qualibet alia forma naturalis ex replicatione suorum actuum nunquam facilius, vel promptius operatur, adeoq; nec habituatur, aliàs intenderet suum subjèctum ultra propriam virtutè.

Dico 3. Non in omnibus potentis externis datur habitus. Est ex Recentioribus contra Mastrium & Pontium, ac Scotistas communiter.

V. Non datur habitus in omnibus potentis externis.

Probatur primò Autoritate Aristotelis 2. Ethic. 1. *Non enim ex eo, quod sæpè vel videmus, vel audivimus sensu & videndi, & audienti accepimus.*

Probatur secundò: Quia videmus, quòd ex reiteratione plurium visionum non fiat oculus magis, vel minus habilis ad videndum idem objectum, quia oculus est summè determinatus ad tantam visionem, ad quam sine habitu pervenire potest quamvis oculus ex imperio voluntatis modò intensius, modò remissius idem possit intueri objectum. Et licet aliquando ex usu possint aliqua objecta placere, quæ antea displicere hoc non provenit, quòd in oculo generetur habitus, sed sit per habitum genitum in apprehensione vel majori imperio voluntatis. Quòd si quæras in quibusnam potentis externis possint admitti habitus. Respondeo, quòd in illis, quæ ex se non sunt summè determinata ad certam perfectionem, ad quam se solis provenire non possunt, unde probabiliter existimo, quòd in potentia activa & gustativa admitti possint habitus, nam experientia scimus, quòd aliqui ex multis frequentatis actibus gustandi vina, talem acquirant facilitatem, ut facillimè non tam meliora à se invicem, sed etiam quarum sint provinciarum discernere possint, quòd alius non præstabit, qui tales non frequentaverit actus, licet omne adhiberet imperium voluntatis, narratur etiam de aliquo Cælo, qui tactu solo ligna secundum speciem diversa exactè cognovit, de potentia verò visiva, auditiva & etiam olfactiva tum propter autoritatem supra, tum propter summam determinationem omnem puto excludi debere habitum.

Xxx

Dico 4.

VI. In potentia vegetativa admitti potest habitus.

Dico 4. In potentia vegetativa, seu hominum, seu brutorum admitti posse habitum. Est contra Maftrium & Pontium. Est tamen Scoti 2. d. 3. q. 10. K. ubi dicit, habitum generari ex actibus frequentatis in potentiis de se indeterminatis.

Probatur primò: Forma non æqualiter determinata circa omnia sua objecta indiget, vel saltem potest per habitum determinari, sed potentia nutritiva non est æqualiter determinata circa omnia sua objecta, ergò: patet major, quia hæc est una ex principalioribus conditionibus, ob quas habitus admittantur; probatur minor, quia potentia nutritiva non agit æqualiter in omne alimentum, in substantiam aliti convertendo, facilius enim convertit carnes, quam pisces & inter carnes quæ sunt meliores, sed alimentum est objectum, ipsius ergò non est æqualiter determinata ad unum potius, quam aliud; consequenter poterit per habitum determinari ad convertendum hoc & non illud; Quod Confirmatur, quia aliqui ex frequentatis actibus magis & facilius nutriuntur cibis grossioribus, quam delicatioribus, sed hoc provenire non potest nisi ex assuetudine & habitu acquisito ad convertendum potius hunc cibum crassum, quam alium delicatum.

Probatur secundò: Quotiescunq; potest aliqua potentia adjuvari, ut fortius agat in suum objectum, est habitabilis, cum congruentius sic ipsam adjuvari ab inexistente sibi causa, quam à causa omnino extrinseca, sed potest potentia nutritiva adjuvari à causa extrinseca, ut à calore externo medicinali vel alio; ergò potest etià à causa sibi inexistente adjuvari.

VII. Habitus potest in nutritione attingere cibum.

Dices: Habitus est accidens; ergò non potest concurrere cum potentia nutritiva, eamq; inclinare ad nutritionem, utpote quæ est substantialis, ergò. Respondeo quòd licet habitus ille non possit in tantum concurrere, ut cum potentia nutritiva attingat substantiam, sufficit tamen ut admittatur habitus, quod attingat disponendo alimentum & cibum. Et quamvis ut supra dixi, ad qualitates non detur habitus, neque ex earum actibus generetur, si tamen qualitas & habitus sumantur pro eodem potest dari ad eam habitus.

VIII.

Dices secundò: Potentia nutritiva per habitum parcè comedendi debilitatur; ergò non potest ad eam dari habitus, qui non debilitat, sed faciliat. Sed contra: Intellectus & voluntas pro hoc statu & quælibet alia potentia ex continua actione debilitatur, & tamen habituatur; ergò propter debilitationem, quæ sequitur ex continua nutritione, non debet negari potentie nutritive habitus, quod autem debilitetur, non oritur ex habitu, sed ex aliis, quæ aliquando deficiunt, ut calor naturalis, humidum radicale, spiritus vitales &c.

IX. Item in potentia loco motiva.

Dico 5. In potentia motiva brutorum & hominum datur habitus. Ita Scotus 3. d. 33. q. un. Et post ipsum Vulpes, Lychetus, Tartaretus, contra Maftrium.

Probatur autoritate Scoti supra §. ad tertium, ubi habetur: Conceditur quòd in parte corporis potest esse virtus & habitus sicut patet in ma-

nu scriptorū & pictorū, manu enim mea in exercitio in habitū est in illa facultate, quæ est ad cybaria edendum, habitus autem est exercitata, quod non est nisi habitus in habitu, quæ habitus in habitu est esse quædam virtus. Conceditur autem hoc ultimum de irrationali ut de equo ad viciū quædam ad quædam assuetudine, sed in mere inanimatis non invenitur.

Dices cum Maftrio: Illam habitum esse meram impedimenti ablationem, sicut ut in instrumentis quibusdam contingit, quæ ab initio non ita inserviunt, sicut postea, postquam magis attemperantur & disponuntur. Contra, tum quia Scotus vocat illam habitum virtutem, ablatio autem impedimenti, neque virtus est, neq; qualitas, sed est quid mere negativum, tum quia dicit, quòd in habitū non invenitur.

Probatur Conclusio secundò, tum experientiâ Pictorum, Scribarum, Organariorum &c. qui faciliores sunt post longum exercitium, & multos frequentatos actus ad pingendum, scribendum, ludendum, quam bene in principio, quòd aliunde provenire non potest quam ab habitu; tum equorum exercitiorum ad pugnandum, & assuetudinem ad portandum triticum ad molendum, ubi priores promptissimi aggrediuntur inimicum, posteriores verò exactiores sunt adferenda cuncta, quam ad pugnandum. Et quamvis difficile sit assignare causam horum habituum, existimo tamen, citius quemq; fateri debere se ignorare causam, quam negare habitus, quia hoc est negare sensum & carere ratione. Deinde potest etiam dici solam potentiam esse causam totalem, & quamvis hoc difficile sit, impossibile tamen non est, fortè enim non omnes habitus contingunt produci ab actibus, sed tantum determinatarum specierum.

Dices: Illam facilitatem critica dispositione membri, & subordinatione ejus ad phantasiam & appetitum non ab habitu. Sed contra: Quia videtur inexplicabile quomodo ex sola membri dispositione, scribi gratia manus potest fieri, ut digitus organarii clavem nunc hanc nunc illam etiam remotissimam, tum punctualiter tangat, licet ex dispositione corporis major possit oriri motus velocitas. Contra secundò: Musici dum optimè ludunt frequentissime versantur circa alia objecta, ita ut totaliter sint distracti, nec sciant quid, vel quomodo ludent, ita ut taliter secundò, attendentes etiam, tangere non possint, & tamen tunc ut sic distracti optimè lusere; ergò non potest illa facilitas oriri ex subordinatione ad phantasiam. Sed contra Conclusionem directè à Maftrio

Opponitur alia authoritas Scoti 4. d. 41. q. 10. G. ubi loquens de agilitate corporis gloriosi, negat agilitatem esse habitum quorundam reddentem corpus apertius ad velocitatem & expeditius se movendum, sed solam duplicitatis impedimenti ablationem, quæ erat in juncturis & organis membrorum & humorum crasserum, qui in toto corpore erant, loco quorum dabuntur spiritus subtiles & addit rationem, quia non potest dari aliqua qualitas, quæ sit indifferens & indeterminata ad tota diversa ubi, ergò. Sed respondeo concedendo talem qualitatem tam indifferentem dari non posse, sed dico

Hic habitus dari ad determinatos actus, unde non implicat dari etiam in beatis habitus diversos ad diversa ubi. Respondeo secundo: Scutum ibi non loqui de motu artificiali, & cum certo ordine, sed de motu naturali organico, cujus velocitas provenire potest & provenit in corpore glorioso: ex amotione talium impedimentorum, & collatione subtilium spirituum. Quod si etiam loqueretur de motu artificiali, & cum certo ordine non est paritas de corpore glorioso & mortali, quia virtus motiva animæ pro hoc statu est imperfecta, & ideo potest per habitus perfici & intendi, in beatis verò est perfecta & intensa, adeoq; superflueret habitus.

XIV. **Dico 6.** In potentia rationalium & sensitiva internis, sive hominum, seu brutorum, dantur habitus. Ita D. Augustinus lib. 83. qq. 9. 30. ubi ait: *Bruta animantia consuetudine fieri educata & domita.* Estque communior Scotistarum contra Arriagam &c.

Probatur quoad potentias rationales ex eo, quia videmus intellectum & voluntatem ex consuetudine & actuum replicatione facilitari circa propria objecta, quod aliunde provenire non potest, quam ab habitu, ergò.

XV. **Dices:** Facilitatem hanc in intellectu oriri tum ex Imperio voluntatis, in voluntate verò ex vehementiori cognitione, adeoq; non ab habitu. Sed Contra primum, qualemque Imperium voluntatis accedat, si potentia intellectiva non est habituada non eliciet perfectiorem & intensiorem actum & contra, licet minimum aut parvum saltem (vel stante eodem voluntatis imperio) accedat, post longam actuum frequentationem sentimus majorem intelligendi facilitatem; ergò illa facilitas non ab imperio, sed ab habitu provenit. Contra secundum: In Christo Domino fuerunt intensissima species mali & vehementes cognitiones, & tamen in eo nullus inventus est dolus habituatius aut habitus prosecutionis alicujus mali; Deinde multi afficiuntur quibusdam vanitatibus ex consuetudine, quas tamen minus pulchras judicant, & quidem in tantum ut ab iis difficillimè retrahi possint, & facillimè ad eas inclinentur.

XVI. **Probatur Conclusio secundò** ex Aristotele lib. de Mem. & Remin. cap. 3. afferente, consuetudinem multum conferre ad bene memorandum. Sed Contra

XVII. **Dices:** Illam facilitatem non provenire ab habitu, sed ex eo, quia spiritus puriores pignuntur, & organum ipsum expurgatur excrementis. Sed Contra, possunt acquiri puriores spiritus & etiam ipsum organum expurgari medicamentis, sed facta tali expurgatione non sentiretur adhuc major facilitas; ergò illa non ab expurgatione, sed ab habitu provenit.

XVIII. **Probatur Conclusio etiam de** brutis, tum exemplo equi exercitati supra, tum ex Aristotele 1. Met. 1. Brutis quodammodo prudentiam & disciplinabilitatem convenit. *F. Amandi Hermann Physica.*

nire dicente; tum denique ex D. Augustino supra.

Opponitur Contra particulam illam quod in voluntate detur habitus; **Habitus** agit naturaliter; ergò non potest esse in voluntate; **Probatur** consequentia: Quia voluntas est indifferens ex se ad actum & ad suspensionem, sed habitus non est sic indifferens; ergò non potest esse in voluntate: **Probatur** minor; Quia nullum quod naturaliter agit, est sic ad opposita indifferens. Respondeo primò distinguendo antecedens, **Habitus** agit naturaliter ita ut non subordinetur potentia; nego; cum tali subordinatione concedo; quare licet voluntas esset habituada, habitus maneret sub ejus imperio, ipsaq; esset æquè indifferens ac ante, quamvis facilius se determinaret ad objectum circa quod esset habituada, quam si non esset habituada, quare tunc se etiam majori cum delectatione & conamine illi uniret, adeoq; intensiorem eliceret actum. Respondeo secundò distinguendo antecedens, non potest esse habitus in voluntate determinans ad suum actum ad eundemq; Physicè pertrahens voluntatem concedendo; qui ageret ipsam moraliter disponendo & alliciendo, nego consequentiam.

Opponitur secundò: Contra intellectum sic: **Habitus** subjectatur in potentia indifferente; ergò in intellectu talis non datur; antecedens est nostrum; **probatur** consequentia, intellectus est potentia naturalis, determinata, agens in quantum potest & secundum totum suum conatum, utpote sicut in cujus potestate non est agere, ita nec est sic vel sic agere; ergò non potest in ea dari habitus, **probatur** consequentia, quia habitus non potest elevare potentiam supra vires suas, quia tunc non esset habitus illius potentia, sed aliam omnino constitueret, ergò. Respondeo concedendo antecedens & negando consequentiam, cujus probationis consequens distinguo, non potest dari habitus concurrens cum ea majori naturalitate concedo; concurrens ad perfectiorem actum quem sine habitu non poterat attingere nego consequentiam: cujus probationis antecedens etiam distinguo, **Habitus** non potest elevare potentiam supra vires suas quoad rem, elevando scilicet ut feratur extra proprium objectum concedo; quantum ad modum objectum concedo; quantum ad modum nego; nam habitus supernaturalis elevat intellectum ad videndum DEUM, quem non habituatius videre non potest; habitus naturalis elevat & adjuvat ad eliciendum actum ut sex, quem non poterat non habituatius elicere, nam habitus & potentia integrant unam causam totalem perfectiorem quacunque partiali.

QUÆSTIO III.

De Causa & Causatione habitus.

In hac Quæstione Examino tam

quomodo habitus producat, quam quomodo ipse concurrat sed producendos actus? Itaq; ad primum veniendò difficultas est, an actus sint causa totalis habitus, vel ipsa potentia? vel an sint causa partialis, ita ut

XIX. *Objectio prima.*

II. *Objectio secunda.*

XX. *Objectio secunda.*

III. *Objectio prima.*

I. *Actus est perfectio habitus.*

æqualiter cum potentia concurrant? Pro quo Notandum est, actum esse simpliciter perfectiorem ipso habitu, tum in ratione perfectionis finalis, quia immediatius attingit objectum finale; tum in ratione perfectionis formalis, quia nunquam potest convenire tanta perfectio habitui in summo, quanta convenit actui tali in summo, nec hoc videri debet inconveniens eo quod habitus sit causa ipsius actus, quia non est nisi causa partialis, minus principalis, quare solum totalis causa & principalis ac æquivaoca est perfectior suo effectu. Hoc præmissis

II.
Habitus totaliter produ-
citur ab
actibus.

DICO I. *Habitum producitur totaliter ab actibus sibi similibus, ad quos inclinat, a potentia vero non nisi remota.* Ita Scotus i. d. 17. q. 2. §. Ad argumenta V. Dixi a potentia vero non nisi remota, in quantum scilicet ipsa producit actum, qui postea est causa habitus. Probatur: Si potentia simul cum actu proximè produceret habitum, sequeretur quod causa libera, verbi gratia, voluntas posset producere effectum primum videlicet actum non producendo effectum secundum, nempe habitum, sed hoc est falsum, ergo potentia non concurrat proximè, adeoque actus solus erit causa habitus; Patet sequela majoris, quia ex eo quod causa libera concurrat ad unum effectum, non propterea statim necessitatur ad concurrendum ad alterum; probatur minor, quia voluntas eliciens actus justitiæ, verbi gratia, quantumcumque veller, quod non sequeretur ex reiteratis actibus justitiæ habitus, adhuc tamen habitus justitiæ produceretur, & quando habitus est productus, quantumcumque veller ipsum destruere, non posset nisi per positionem actuum contrariorum destructivorum, ergo. Unde ait, Scotus i. d. 12. q. un. G. & d. 13. q. un. H. Quid generat ipsa volitio generat naturaliter, unde habitus appetitivi virtute actuum appetitivus ita generantur naturaliter ex eis sicut habitus intellectivi generantur naturaliter ex intellectibus, ergo potentia non concurrat proximè ad producendos habitus. Et quamvis hic egerim tantum de habitibus voluntatis, eadem tamen est ratio de omnibus aliis quantumcumque potentialium, quare si Scotus alibi concedere videretur tam actum, quam potentiam concurrere ad habitum, explicandus erit quod scilicet non loquatur de causa proxima & immediata, sed de remota & mediata. Verum tamen

III.
Bonum diuturnius non est semper perfectius.

Opponitur Contra Conclusionem etiam ex ratione: *Habitus est perfectior actu, ergo nequit ab ipso produci; probatur antecedens, tum quia habitus est causa actus æquivoca, tum ex Aristotele 3. Top. 1. quia bonum diuturnius est perfectius & melius transeunte, ergo.* Respondeo negando antecedens, nam actus immediatus, ut dixi supra, unit potentiam cum objecto proprio: Ad primam probationem dicitur esse causam, sed partialem, quæ semper est imperfectior. Aristoteles vero loquitur cæteris paribus, quare habitus solum excedit actum in duratione, qui excessus est tantum secundum quid, actus tamen in aliis perfectionibus excedit habitum simpliciter.

DICO 2. *Quilibet actus aliquid habitus causat, licet actus sit imperfectior & remissior ipso habitu.* Ultraque pars est Scoti i. d. 17. q. 3. R.R.

Probatur prima pars: Omnes actus etiam priores sunt ejusdem rationis cum sequentibus, ergo si sequentes causant aliquid de habitu, consequenter causabunt etiam priores, quia non est ratio potior de uno, quam de alio, adeoque tam bene primus aliquid causabit, quam reliqui.

Dices: Rationem esse, quia prior actus tantum disponit potentiam quæ disposita potest actus sequentes producunt habitum. Sed contra suppono jam potentiam esse dispositam & capacem ad recipiendum habitum, ergo si actus ratione quæ actus est productivus habitus & primus ejusdem rationis cum sequentibus si sequentes producunt ergo & primus debet aliquid producere. Contra secundum: Quando potentia est indisposita non potest disponi & ab ea expelli indispositiones contrarie, nisi ab ipso actu disponente producat aliquid contrarium dispositionibus præexistentibus, ut patet de ligno, quod disponitur ab igne expellendo ab ipso frigus & humiditatem, & hoc per introductionem siccitatis & caloris, contrariorum dispositionum prioribus, ergo si primus actus disponit potentiam illam non potest disponere nisi per productionem alieus in tali potentia, actus autem nihil potest producere præter habitum, vel aliquid habitus, ergo.

Probatur secunda pars. Actus decimus intensus, verbi gratia, ut unum angustius habitum, licet habitus præexistens fuerit intensior ipso actu (supponitur enim modo quod actus sit effectus intensioris cause) ergo actus licet remissior sit & imperfectior ipso habitu, adhuc tamen auget habitum: Probatur antecedens, sit aliquis in charitate ut octo constitutus, qui elicit actum charitatis imperfectum, & solum intensum ut unum, tunc secundum charitatis inclinationem ratione actus meritorii habitus charitatis debet augeri, cum aliquid ille tali actu mereatur, & tamen tunc habitus charitatis est intensior ipso actu, ergo.

Arguitur: Si habitus ut quatuor, & inclinans ad actum ut quatuor, posset augeri a quolibet actu, ita ut si adderetur actus ut duo fieret habitus ut sex, sequeretur effectum futurum intensiorem sua causa, imò effectum æquivocè productum a quacunque minima causa produci posse, & causam talem nunquam habituram effectum sibi proportionatum, sed hoc experientia constat esse falsum, ergo. Respondeo negando sequelam quoad utramque partem, quia actus ille ut duo non producit totum habitum ut sex, sed solum duos gradus, ceteri enim gradus fuerunt producti ab aliis actibus præcedentibus, qui uniti omnes simul producerent æquè intensum habitum.

Instatur: Sicut ille actus ut duo produxit in habitum quintum vel sextum gradum, ita poterat priores producere cum sint omnes ita homogenei, ergo sequeretur adhuc actum ut duo posse producere habitum ut sex. Respondeo

spondeo distinguendo consequens in se practice consideratus, nego: Si replicaretur à Deo, concedo, nec hoc mihi videtur inconveniens, quod tunc habitus ut quinque vel sex producatur ab actu ut duo, cum non requiratur major virtus, actus namque debet semper producere aliquid in potentia, nec est inconveniens id quod nequit facere una vice faciat pluribus vicibus.

facilitas non infert formaliter causalitatem transeat; concomitanter nego consequentiam; habitus itaque duplicem exercet causalitatem, prima est respectu potentie in genere cause formalis, altera respectu actus in genere cause efficientis, prima fit mediante informatione, secunda coagendo ad effectum.


Urgetur: Idem non potest esse causa & effectus, sed actus est causa habitus, & habitus est actus effectus, ergo habitus non potest esse causa actus. Sed Respondeo distinguendo majorem, respectu ejusdem concedo, respectu diversorum nego majorem, nam actus ex quibus causantur habitus non causantur ab habitu, sed alius ejusdem rationis tendentes & disponentes magis potentiam ad agendum & producendos actus.

Prosequuntur: Quotiescunque inter aliqua ejusdem speciei vel generis est ordo prioris & posterioris, talis ordo servatur inter omnia individua ejusdem speciei, vel generis, sed habitus per se est posterior actu, ergo semper habebit ordinem prioris actus, & habitus posterioris & consequenter habitus nullius actus erit productivus. Respondeo distinguendo majorem, inter substantias ipsas, vel inter substantias & accidentia concedo majorem; inter sola accidentia nego majorem; Et hoc ideo, quia substantia non suscipit magis & minus sicut suscipit accidens; unde distinguo etiam minorem, habitus est posterior actu secundum naturam & quidditatem practice inspectam concedo; prout supponit pro omni gradu & actu in summo nego minorem; Quare licet habitus secundum illos gradus quos sibi natura determinat sit posterior actu, non est tamen posterior omni actu & secundum omnem gradum unde bene poterit adhuc producere actum. Solent hic plura alia de habitibus tractari, ut de intensione, extensione, unitate, oppositione & desitione, verumtamen quia facile resolvuntur ex dictis de intensione qualitatum, ideo superfluum existimo ea hic repetere, quare sit.

Dico 3. *Habitus concurrat ad actum effectivum tanquam causa partialis.* Est D. 1. d. 3. q. 7. Maltrii, &c. Probatur. Potentia habituata minorem conatum adhibet, quam non habituata, ergo habitus supplet concursum activum potentie, qui non nisi per alium concursum activum suppleri debet; antecedens patet experientia, quia major vel minor conatus potentie est major vel minor concursus ejusdem, ergo si potentia habet minorem conatum habet minorem concursum & consequenter ille concursus suppletur per habitum.

Arguitur ab adversariis: Potentia se sola potest causare actum, ergo frustra ponitur alia concursa partialis; probatur consequentia, quia non sunt multiplicande cause sine necessitate, sed &c. ergo. Respondeo negando consequentiam, cujus probationis minorem distinguo, nulla est necessitas ad simpliciter operandum concedo; ad faciliter & cum minori conatu operandum nego minorem & consequentiam.

Instatur: Major facilitas in elicitione non infert causalitatem habitus, ergo. Antecedens probatur, quia ante actionem sentit se voluntas inclinata ad actum & facilitatem, ita ut facilitas precedat actionem, ergo ante actionem habitus exercet suum munus, ergo facilitas non infert causalitatem. Respondeo negando antecedens cujus probationis consequens distinguo, ergo ante actionem habitus exercet suum munus respectu potentie in genere cause formalis concedo; respectu actus in genere cause efficientis nego consequentiam; distinguo etiam secundum consequens, ergo



DISPUTATIO IV.

DE POTENTIIS ANIMÆ VEGETATIVÆ ET SENSITIVÆ IN COMMUNI.

Quamvis videri posset necessarium premittere examen de ipsa substantia tam animæ vegetativæ, quam sensitivæ, sed quia ex dictis disputatione primâ facile colligi potest earum natura, nam animam vegetativam juxta generalem datam definitionem sic describere poteris, quod sit actus corporis organici potentia vitam vegetativam habentis; vel quod sit Principium primum quo substantia corporea vivens vitam vegetativam habet sic vivere; Anima vero sensitiva bene describitur quod sit actus corporis organici potentiam vitam sensitivam habentis, vel quod sit actus primus à quo substantia corporea habent exercere operationes vegetativas & sensitivas tantum. Quare notatis definitionibus & naturâ harum animarum ad potentias quæ ab animabus tanquam à radicibus emanant explicandas accedo; Unde sit

Xxxx 3

QUÆ